



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

314. An etiam in hoc casu valeat reservatio pensionis tali Resignanti facta, dum is resignavit, reservata sibi tali pensione, non factâ mentione de defectu tituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tum non potest resignare in favorem, quæ prius ob tinebat beneficia alia. Paris. à num. 75. Idem est de promotio ad Abbatiam, Paris. n. 95. Tamb. de jure Abb. p. 1. pag. 102. n. 17. de quibus omnibus accurate factis actum in antecedentibus, & vide de eodem argumento Paris. cit. n. 50. per reliqua ferè tot. q.

*Quæstio 313. An, & qualiter privatus beneficium per sententiam hominis resignare illud possit?*

1. **R**espondeo primò: Quod dictum de privato ipso jure beneficii, nimirum per sententiam legis, idem dicendum de privato beneficii per sententiam, dum hæc transit in judicatum, seu rem judicatam. Paris. l. 3. q. 1. nu. 151. Garc. p. 11. c. 3. num. 125.

2. Respondeo secundò: fieri non posse dictam resignationem post eam sententiam, et si adhuc illa executioni data non sit. Garc. loc. cit. n. 125. contra Rebuff. conf. 82. Siquidem per sententiam privationis, quæ in judicatum transit, statim, etiam ante executionem illius, privatus quis est jure ac titulo beneficii, quod negat. Rebuff. loc. cit. & hoc mox ante executionem conferri potest. Et illud solum verum, quod quis per talem sententiam non statim ante executionem privatur possessione beneficii. Garc. cit. nu. 126. qui etiam nu. 127. ait ex Felin. in c. inquisitionis, de accus. nu. 7. canonicum ante dictam executionem non statim ipso jure perdere stallum in Choro, & locum in capitulo, sed oportere, ut destalletur per Superiorem.

3. Respondeo tertio: valere nihilominus resignationem in favorem factam post talem sententiam, uti & factam ab eo, qui privatus est ipso jure per sententiam legis; quin &, ut addit Garc. ab obtinente beneficium alias sine canonico titulo ex clausulis generalibus apponi solitis, sive præmissis, sive alio quovis modo yacet; cum facta illa resignatione invalida verum sit, beneficium illud vacare alio modo, nempe per privationem. Garc. n. 128. citans Rot. in Salmant. dimidia part. 11. Decemb. 1587. & Navar. conf. 12. de rescrip. n. 7. & 10. Castrop. cit. §. 2. n. 13. Limitanda tamen hæc responsio, dummodo alteri non sit antea jus acquisitum in illo beneficio, Garc. Castrop. ll. cit. dicit quoque Garc. nu. 129. secus fore in permutatione, propter clausulas in permutationibus apponi solitas; juxta reg. Cancell. 39. quod neuter permutantium jus acquirit, nisi quilibet eorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

*Quæstio 314. An igitur etiam in hoc casu, ex dictis nimirum clausulis valeat reservatio pensionis tali resignanti facta, dum is resignavit reservata sibi tali pensione, non facta mentione de defectu tituli?*

**R**espondeo: Negativè, ex eo, quod, ut Paris. paulò post citandus, Papa non concessisset pensionem, si scivisset, jus ei non competere, & est gratia subreptitia; cum non exprimitur id, quod expressum retraxisset à concedenda, juxta c. postulasi, & c. super literis, de rescrip. ac præcipuè ex eo, ut Paris. cum Garc. quod pensio reservetur resignanti cum clausula: ne ex resignatione nimirum dispendium patiatur: quæ clausula non verificatur in resignante beneficium, in quo jus non habet; cum enim illud dimittere debeat, nullum ex ejus resignatione revera patitur dispendium, Paris. l. 3. q.

P. Levan, Fori Benef. Tom. III.

2. n. 24. Garc. nu. 132. citans Gamb. de off. leg. l. 6. n. 150. Gig. conf. 128. n. 3. & 4. contra Nav. conf. 12. de rescrip. n. 4. putantem ex tenore supplicationis, præsertim ex verbis istis: ex certis causis animum suum moventibus resignare proponat & resignet, satis factam Papæ mentionem de defectu tituli. Quod ipsum bene refutat Garc. n. 138. qui & sententiam suam n. 132. insuper confirmat ex Mandol. de signat. gratia. tit. de pens. ubi ait: quod in supplicatione pensionis ex causa cessionis nonnunquam conceditur clausula: & quod pensio debeatur, etiam si nullum jus cedenti compereret ad tollendas lites, quæ inter pensionarium & cessionarium oriri possent, illo afferente, jus bonum cessione, hoc negante; quandoque dicta clausula denegatur, adeoque sine illa clausula non deberetur pensio, si cedenti nullum jus compereret in beneficio resignato, ut Paris. l. 6. q. 2. n. 105.

*Quæstio 315. An, quia in reservatione pensionis solet apponi resignantibus pena privationis, vel concedi regressus resignanti in casu non solutionis, possit resignatarius talis non solvens pensionem resignare beneficium illud pensione gravatum?*

1. **R**espondeo primò: Quando is, cui reservata pensio, non soluta pensione egit ad privationem vel regressum, iste non solvens non potest resignare in favorem tertii; cum accedente illa voluntate & declaratione pensionarii absque dubio iste non solvens sit eo ipso privatus beneficio. Paris. l. 3. q. 3. n. 2.

2. Respondeo secundò: e contra, quamdiu non fuit actum contra non solventem, is poterit resignare in favorem tertii illud beneficium. Paris. ibid. n. 4. ex Cassad. dicens esse communem, ac testans vidisse se sapius sic in praxi servari; pena enim illa locum habet agente pensionario, & sic volente illo, in cujus favorem illa pena apposita fuit juxta plures Rota decisiones, quas citat Paris. n. 5. quemadmodum, ut Emphyteuta ob non solutionem canonis cadat à jure suo, declaratio domini directi requiritur, l. 2. c. de jure Emphyt. & ibi Bart. ergo ante illam declarationem creditoris debitor potest impunè & validè resignare; quia pena dicta necdum successerat. Paris. cit. n. 5. Adde quod, dum is, cui reservata pensio & regressus in eventum, non declaravit voluntatem suam, agendo contra beneficiarium ad privationem, videatur noluisse. Paris. ibid. num. 6. Insuper, licet in literis fiat privatio, quoties reservatur regressus ob non solutam pensionem, requiritur tamen ad regrediendum, ut regressus canonizetur per declarationem judicis. Paris. nu. 7. Pelegrin. decis. 264. l. 3. Quod quis, qui resignavit, reservato sibi regressu, si uti noluit, dum semel locus erat regressui, non possit eo uti, dum iterum venit casus, tradit Paris. n. 15. ex Moheda.

3. Respondeo tertio: Est etiam in hoc casu tutus successor istius resignantis, seu is, in quem iste non solvens resignavit beneficium. Paris. cit. n. 4. ita ut pensionarius contra hunc declarando voluntatem non possit agere ad privationem ob non solutam pensionem ab ejus prædecessore. Paris. n. 8. dicens esse communem doctorum. Non secus ac contingit in morte naturali, ita ut si is, cui reservata pensio ac regressus, tacuit vivente debitore principaliter obligato, qui in tempore statuto

O 3

non